



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

III. Concilium Agathense congregatum est permissu Regis Alarici & sollicitudine auctoritateque Cæsarij. Probatul muliis rationibus & testimonio Ruricij ad Cæsarium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

fuam eligendo; dein & ipsos dominos rerum (Alaricum videlicet Vvifgotthorum, ut ego interpretor, & Theodericum Ostrogotthorum Reges) per internuntios oravit, quem admodum docet auctor vitæ Cæsarij, ne alium quàm Cæsarium in Arelatenſi Eccleſia Episcopum conſtituerent. Quod & factum est. Hunc ego virum reperio primum ubique locum tenuisse inter Episcopos Gallicanos, & plurimis Conciliis generalibus præfuisse, in primis autem celeberrimo Concilio Agathensi in prima Narbonensi, ad quod convenerunt Episcopi octo provinciarum regni Gotthici, Arelatenſis nimirum, Alpium maritimarum, Narbonenſis primæ & secundæ, Aquitanæ primæ & secundæ, Novempopulaniæ, & tertiæ Lugdunenſis. Nullus Episcopus aderat ex provincia Viennensi, tametsi propinqua valde eſſet, quia Vienna tum erat in regno Burgundionum.

III. Magnum illud Concilium permissu Regis Alarici congregatum eſſe conſtat ex præfatione ejus. Quæri autem poteſt qua auctoritate evocati fuerint Episcopi, utrum per præceptionem regiam, an verò per tractatoriam Cæsarij Episcopi Arelatenſis, ad quem ex veteri conſuetudine, & canone eccleſiaſtico, privilegioque præterea apoſtolicæ ſedis, pertinebat arbitrium & poteſtas congregandorum Conciliorum ex provinciis Gallicanis. Primum dici poſſet eam in ſe curam traxiſſe Cæsarium, qui de celebranda ſynodo cogitaverat in ſeceſſu Burdigalenſi, ut docet Ruricius Lenovicenſis ad illum ſcribens. Exiſtimandum præterea eſt Alaricum, bonum alioqui Principem, & catholicis Episcopis, tametsi ipſe Arrianus eſſet, admodum favorabilem, non turbaiſſe ordinem in Gallia conſtitutum, atque adeo illibatam Cæsario ſervaiſſe auctoritatem ſuam. His argumentis probari poſſe puto ſynodum Agathenſem congregatam fuiſſe auctoritate litterarum Cæsarij, quas ille miſit ad ſingulos Episcopos regni Gotthici. Sed ut non egeamus argumentis facit teſtimonium ejuſdem Ruricij: qui ſe excuſans apud Cæsarium quòd Agathenſi Concilio non interfuisset, primum quidem abſentiam ſuam imputat infirmæ atque ægræ valetudini, tum accuſat tabellarium, cujus culpa factum erat ut Cæsarij litteræ, quibus eum evocabat ad ſynodum in Agathenſi urbe celebrandam, tardiùs ad eum pervenirent. Elegans eſt hic locus, & in primis dignus referri, utpote ab homine ſcriptus qui ſe ſciret Episcopum eſſe. *Si ad tempus aliud, inquit, quod intimatis, (nimirum ad ſynodum in Tolofana urbe celebrandam anno ſequenti, de qua ad Ruricium reſcripſerat Cæsarius) ſi Deus vitam ceſſerit, venire*

vultis, nobis per hominem veſtrum maturiùs indicetis: quia litteras veſtras ad me modo tardiſſimè veniſſe ſignifico; tametsi nos pro dignitate, vel pro ſtate, non debemus tardiùs quàm alij commoneri, qui fortaſſe (ut minùs prudens dicam) merebatur ambiri. Quia ſi aliis nomen urbium præſtat auctoritas, nobis auctoritatem demere non debet urbis humilitas. Siquidem multò melius multòque eminentiùs eſt civitatem de ſacerdote quàm ſacerdotem de civitate noſcere.

IV. Hunc locum, qui corruptus eſt in editione Henrici Caniſij, nos olim correxi-mus ex ingenio. Ceterum non præteribo iſtum Ruricij locum quin illi adjungam alium vulgatiſſimum Hieronymi locum ex episto-la ad Evagrium, qui ſic habet: *Ubiunque fueris Episcopus, ſive Roma, ſive Eugubij, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegy, ſive Alexandria, ſive Thanis, ejuſdem eſt meriti, ejuſdem eſt ſacerdotij. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel ſublioniorem vel inferiorum Episcopum non facit. Ceterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* Nunc ad rerum ordinem redeo.

V. Concilio igitur Agathenſi præfuit Cæsarius, in quo multa conſtituta ſunt utiliter in publicum, eique primo loco ante omnes Metropolitanos ſubſcripſit, tametsi in aliena provincia, & Cypriano Burdegalenſi, ut arbitror, ordinatione poſterior. Quæ indicant extraordinaria quadam auctoritate id factum eſſe, nimirum ob vices apoſtolicæ ſedis. Porro cautum eſt canone lxxi. uti ſynodus, nimirum generalis, ſecundum conſtituta patrum, id eſt, Hilari Papæ & ſequentium haud dubiè Pontificum, annis ſingulis congregaretur. Curam verò & auctoritatem eligendi locum quò convenire deberent Episcopi in ſequenti ſynodo, tum etiam eos evocandi, relictam Cæsario fuiſſe, prout par erat, colligitur ex episto-la Cæsarij ad Ruricium; in qua conquerens de abſentia ejus, ſimulque eum redarguens quòd perſonam non direxerit vice ſua, demum addit Tolofam delectam eſſe celebrando futuro Concilio: *Indico pietati veſtre quia filius veſter Eudomius, ſi potuerit, hoc elaborare deſiderat, ut ſuperveniente anno Tolofa ſynodum Chriſto propitio habeamus; ubi etiam, ſi potuerit, Hiſpanos vult Episcopos convenire.* De Hiſpanis Episcopis quod ait, intelligendum eſt de his qui in ea Hiſpaniæ parte conſtituti erant quæ Gotthico imperio parebat, hoc eſt, in Hiſpania citeriori. Itaque optabat Eudomius alium anno ſequenti Episcoporum conventum agi, in quo, præter Episcopos Gallicanos, intereſſent etiam Episcopi Hiſpani, Vrgellenſis videlicet, Gerundenſis, Barcinonenſis, & reliqui illarum partium. Nam eos ſuæ non ita multò poſt auctoritati ſubjicere curavit Cæsarius, ut